



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1862**

LXXXIX. Markgraf Ludwig der Römer vereignet den Gewandschneidern in Frankfurt Hebungen aus dem Zolle daselbst, am 3. Juli 1353.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

LXXXIX. Markgraf Ludwig der Römer vereignet den Gewandschneidern in Frankfurt Gebun-  
gen aus dem Zolle daselbst, am 3. Juli 1353.

Nouerint vniuersi tenorem presentium inspecturi, Quod nos Ludovicus Romanus, dei gracia Marchio Brandenburgensis et Lusacie, Sacri romani Imperii Archicamerarius, Comes palatinus Rheni et Bauarie Dux, Dedimus, damus, presentibus quoque sollempni proprietatis titulo donamus Prudentibus et discretis viris vniuersis et singulis pannicidis et mercatoribus ciuitatem nostram Vrankenuord inhabitantibus tam presentibus quam futuris fidelibus nostris dilectis Nouem frustra annuorum reddituum in theolonia nostre ciuitatis predictae situata in festo beate Walpurgis annis singulis inde deriuancia habenda, tollenda, cum omnibus quoque iuribus, comodis, honoribus et pertinenciis vniuersis perpetuis in antea temporibus quiete et pacifice possidenda, eo quod ipsi a discreto viro Nycolao Nymigk et suis heredibus, qui prius a nobis redditus tenebant eisdem de nostro ac consiliariorum fidelium nostrorum scitu, consensu et libera voluntate rite et racionabiliter redditus et prouentus antedictos parata sua pecunia compararunt. Dantes nihilominus eisdem, presentibus liberam facultatem, quod de redditibus predictis altaria fundare, elemosinas facere, aut in alios pios vsus quoscumque pro ipsorum voluntate conuertere in ciuitate uel extra sine qualibet nostri ac heredum nostrorum contradictione libere poterunt et debebunt, et quidquid horum de huiusmodi prouentibus per ipsos fieri decretum fuerit et ordinatum, vnde ius conferendi (patronatus) seu collationis cuiuscumque suboriri poterit et prouenire, tale videlicet ius conferendi, seu nomine quocumque censeatur, ad ipsos libere debet perpetuis temporibus pertinere. Renunciantes nihilominus per presentes omni iuri, actioni et impetitioni, quod uel que nobis aut heredibus et successoribus nostris in premissis, quo ad dictam proprietatem, competunt seu competere quomodolibet poterunt in futurum. In cuius rei euidentiam sigillum nostrum presentibus est appensum. Presentibus strennis viris Petro de Breidow, Nycolao de kokeritz, Curie nostre magistro, Petro de Trutenbergh, nostro marschaleo, et Marquardo Luterbegk, militibus, Johanne de Wedell, Camere nostre magistro, necnon discretis viris Willekino Murow, Coppone List, kunone Hakeman, Nycolao Siffritstorp, Johanne nymigk, Petzone Gefir, ciuibus Vrankenuordenibus, cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Vrankenuord, Anno domini Millesimo Tricentesimo Quinquagesimo tercio, feria quarta proxima post diem beatorum Petri et Pauli apostolorum.

Nach dem Originale des Stadtarchives VIII, 3, 94.

XC. Markgraf Ludwig der Römer verleiht an Johann und Frigo Belkow, Bürger in Frankfurt, Bede und Wagentienst im Dorfe Mansfeld, am 26. November 1353.

Nouerint etc. Quod nos Ludovicus Romanus etc. Prudentibus viris Johanne et fritzoni Belkowe, fratribus, ciuibus nostris in vrankenuord, fidelibus nostris dilectis et he-